





No. 40.  
1765, 13.

SPECIMEN  
CONTINENS

CAPVT IVRIS CONTROVERSVM  
AN

Q V A E R E L A  
TESTAMENTI INOFFICIOSI  
LOCVM HABEAT  
CONTRA TESTAMENTVM FRATRIS  
IN QVO FILIVS NATVRALIS  
HERES INSTITVTVS

Q V O D

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

P R A E S I D E

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING  
PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.  
ET SOCIETAT. LITER. DVSEBVRG. SOCIO

IN AVDITORIO PETRINO

DIE XVIII. MAII ANNO CCCCCCLXV.

DEFENDET

CAROLVS CHRISTIANVS MENZEL,  
LAVRA LVSAT.

---

L I P S I A E  
EX OFFICINA LANGENHEMIA.

SPICIMEN  
CONTINENS  
CARAT IURIS CONTRAVERSA  
AN  
G A E R E L A  
TESTAMENTI INSTITUTI  
LOCUM HABITAT  
CONTRA TESTAMENTUM HABITAT  
IN GAO HABET IN TERRA  
HABET IN TERRA  
G A E R E L A  
TESTAMENTI ORBIS GRATA  
PRAEFACTA  
CHRISTIANO HABER BEKINDO  
VADOTRIO HABENDO  
DI TERRA HABENDO CREDIDICIA  
DITENDIT  
CAROLAS CHRISTIANUS MENZEL  
LIPSIAE  
EX ORIGINALE LONDINENSE


AN  
QVERELA  
TESTAMENTI INOFFICIOSI  
LOCVM HABEAT  
CONTRA TESTAMENTVM FRATRIS  
IN QVO FILIVS NATVRALIS  
HERES INSTITVTVS.

§. I.

**N**emo est, qui, quot controversiae in testamentaria materia sint tam inter theoreticos, quam inter pragmaticos, ignoret. Certe plerumque fieri solet, ut tabulis testamenti appertis inspectisque lis moueatur de testamenti valore. Impugnatur mox nullitatis, mox inofficiosi quaerela, si modo aliqua dari possit species, quae spem facit, fore, ut destrui atque infirmari queat. Non est huius loci, singulas impugnare species, ex quibus lis contra testamentum institui possit. Ex innumerabilibus illis controversis causis unum saltem thema excitabo, quod poterit in foro tractari. Titius quondam adolescens adhuc extra legitimum matrimonium illicito concubitu filium Caium genuit. Postea vero, nullis legitimis liberis relictis, moribundus testamentum condit, in que eo hunc naturalem filium heredem scripsit ex esse; fratribus Quinto et Sexto illius Titii praeteritis. Moritur Titius, adit Caius ex patris naturalis testamento hereditatem. Quintus Sextusque fratres male ferunt, sese praeteritos filiumque defuncti illegitimum sibi praelatum. Impugnaturi testamentum fratri Titii, quaerunt: an iure id possint? En thema controversum. Iam ex diuerso iure, quid iustum sit, videamus.

\* 2

§. II.



## §. II.

Ante omnia *Iura Romana* peruestiganda erunt. Ex Iure Veteri, quo legitima illa quarta ignorabatur, inutilis esse videtur omnis quaestio. Quamuis enim scimus Praetorem interdum, quoties aequitati sue conueniebat bonorum possessionem dedisse, tamen hanc ipsa bonorum possessio data ad propositum nostrum thema nunquam pertinere poterat, cum legitimae nulla occurrere posset quaestio. Neque in veterum *ICtorum* scriptis, quorum adhuc quae restant capita nobis exhibent Pandectae, quidquam deprehenditur, sed omnem quaestioni causam dedit absque dubio Rescriptum Imperatoris *CONSTANTINI* ad *Verinum* datum in *L. 27. C. de inoff. testam.* quippe in eo maxime legitimae fratrum prima videtur mentio fieri. Ipsa dabimus Rescripti verba: *Fratres vel Sorores veterini ab inofficiis actione contra testamentum fratris vel sororis penitus arceantur: consanguinei autem durante agnatione vel non, contra testamentum fratris sui vel sororis de inofficio quaestionem mouere possunt, si scripti heredes infamiae vel turpitudinis vel leuis notae macula adspergantur, vel liberti qui perperam et non bene merentes, maximisque beneficiis suum patronum adsecuti, instituti sunt: excepto seruo necessario herede instituto.*

## §. III.

Ex hac itaque Lege examinanda erit proposita nostra species. Quod si ergo Iure Romano probari posset, filium naturalem ex concubina progenitum (de spuriis enim qui *anarctes* sunt lege romana, otiosa est quaestio) vel infamia aliqua vel turpitudine laborare, vel leui saltem macula adspargi; concederem fratrem praeterritum praelato filio naturali, recte agere posse quaerela inofficii. At nusquam in hoc ipso peregrino iure his liberis maculae vel turpitudinis et infamiae quidquam adscribitur, qui potius omnium, si a romana ciue editi essent, iurium honorumque capaces erant; imo ad quorum legitimationem legitimandorum consensus requirebatur, quod tamen minus recte mihi probare videntur ii, inter quos et *HEINECCIVS Elem. Iur. Civ. secund. ordinem Instit.* §. 172. qui provocant ad *L. 11. ff. de his qui sui vel al. iur.* nihil enim de legitimatione cogitare poterat suo tempore *MODESTINVS* fragmenti illius autor, si ea vera sunt, quae vulgo traduntur, legitimationis auto-

rem



rem inventoremque fuisse Constantiū M. cuius tempora non attigisse videtur Modestinus ICtus: Sed hic nihil de legitimatiōnis origine: dixit HERALDV Rer. quotid. I. 4. 2. et HEINECGIUS in Comm. ad L. Pap. Popp. L. II. c. V. p. 173. seqq. Consequi itaque licet, si contigisset inter Romanos, ut pater filium suum naturalem illegitimum heredem scripsisset, fratribus aut sororibus praeteritis, non cogitari poterat quarelae inofficiosi ratio. Iuste ergo hereditatem testamento patris reliquam voluntarius heres adibat.


§. IV.

At quid sentiant patria iura patriique mores? Tantus quondam castitatis pudicitiaeque inter maiores nostros fuit cultus, ut communi quasi consensu vagae libidini maculam tribuerent, et praeципue honestatem nominis feminae negarent, quae se se virilibus amplexibus nullo interueniente coniugii vinculo dederat. Imo videbantur adeo ab illo vago concubitu abhorrere, ut parentes et eo punire aliosque ab eo delicto commitendo coercere vellent; si ad innocentem partum maculam turpitudinis extenderent studiosissimi illi maiores ordinum conseruandorum familiarumque Non inquiram in Veterum hanc Popularium philosophiam, quibus in hoc themate non placebat naturalis illa ratio: *Delicta debent manere suum autorem.* Videtur utique satis durum esse ei et vitae et nominis honestatem negare, cui non potest suae existentiae illicita causa tribui, quique impedire non poterat, quominus existeret. Neque defendam simul, omnes et singulos popularium priorum hanc approbasse philosophiam proptereaque vnicē castitatis studiosissimos fuisse. Pugnarem contra tot exempla et naturalium liberorum et libidinum inter antiquiores, quae nobis historia seruauit. Et forsitan haec sapientia philosophia, quae innocentibus liberis poenam impositam negatae famae improbabat, natalium restitutioni germanicae quam *legitimationem* vulgo vocant, originem dedit. Ut paucis rem conficiam, quamvis nostra aetas, forsitan aetatis mores, non iura, valde declinet ab antiquo illo castitatis cultu, nec raro, sed eheu! libidinum studia inter politioris vitae elegantiorisque cultus rationes statuant, tamen antiquam illam philosophiam adhuc seruauimus, qua liberos extra coniugium natos et genitos macula aliqua turpitudinis laborare putamus sive que a variis honoribus muneribus et vitae cultu vario arcemus.

-sædēb

\* 3

g. V.



## §. V.

Dein alterum quod obseruandum nobis erit, in hoc consistit,  
quod apud nostrates naturales liberos non habemus, quales fuere  
romani, idque ob prohibitum concubinatum ex Receſſ. Imper. d.  
A. 1530. Tit. 33. et apud nos Ordin. Prouinc. Sax. Eleſſ. de A.  
1530. Tit. von verdächtigen und leichtfertigen Weibspersonen. Ne-  
que huius juris dispositionem ex Canonici Iuris prohibitione tan-  
tum deducem, sed magis ex antiquis Popularium rationibus,  
qui non videntur probasse hanc vitae consocationem. Fit inde,  
ut concubinas scortis aequiparemus ipsosque ex hoc concubitu  
procreatos liberos macula laborantes dicamus, quam simul vox  
unehliche Kinder, s̄ illegitimi in se notionem habet.

## §. VI.

Quae cum ita sint, cum certum sit, liberos illegitimos extra  
legitimum coniugium genitos laborare macula adhuc nostris mo-  
ribus, consequi nobis exinde videtur, si pater filium illegitimum  
heredem scribat, praeteritis suis fratribus legitimis, hos recte  
querela inofficioſi acturos, propterea, quod ipsis turpis persona  
qualis est filius illegitimus praelata sit: Atque ideo, si nolit testa-  
mentum impugnari, fratribus legitimam esse relinquendam, in  
reliqua hereditate vero filium illegitimum scribendum. Neque in  
ea re dubitandi quaedam ratio exinde sumi poterit, quod testa-  
menta ignoret ius Patriae nostrae. Concedo quidem, sed rece-  
pit posterior aetas testamenta ex peregrino iure, ex quo etiam,  
nisi speciale quid statuant prouinciae Leges, omnis de testamentis  
mota lis iudicanda erit. Hinc et ad nostram speciem propositam  
illa civilis legis autoritas recte referri poterit, quo vsque lex noua  
hanc veteris iuris de illegitimorum liberorum macula supersticio-  
nem non tollat;

## §. VII.

At forsitan obiici posset, sanguini quid hac in causa indulgen-  
dum. Adesse enim posse et solere interdum *sogynū* illam natura-  
lem, licet ciuiles illi ritus legitimique coitus ceremoniae non pre-  
cesserint: procreationem illegitimi partus a natura pendere non a  
lege; naturam producere amoris vinculum ex quo illis bene cupere  
debeant.

\* \* \*

debeamus, quos ipsi produximus. Praeterea male sanam illam esse Veterum philosophiam Germanorum de macula natuitatis, ut eidem inhaeramus amplius. Patrem esse, qui filium heredem scribat, quamvis non legitimum, sed natura tamen tamem, qui suae progenici bene esse cupiat. Haec haec tenus omnia bene. Sed quid efficiamus his argumentis? Consentio philosophus, dissentio Iuris consultus. Posterioris officium est iudicare secundum leges et consuetudines et his demum deficientibus ex aequitate et philosophiae praecepsit. Tolle ergo legum dissentientium autoritatem, corrige morum et consuetudinum inueteratam rationem, fac ut nostri illegitimos aequi honestos atque absque macula genitos putent, vti legitimos; primus ero, qui consentiam, amplius quaerela inofficiosi fratres agere non posse. At, quo usque autoritas Romano Iuri erit, quo usque macula illegitimis assingitur, quo usque noua lex deficit, dic, quæsio, quo iure praeteritis fratribus instituto illegitimo filio querelam inofficiosi testamenti?

### §. VIII.

Iam ergo affirmauimus fratrem recte quaerela inofficiosi, si praeteritus sit rescissum fratri testamentum herede instituto filio illegitimo. Sed iam videamus, quando haec cessent iura. Fac illum filium naturalem vel per subsequens matrimonium legitimatum vel principis rescripto in patris naturalis potestatem venisse, nemo dubitabit, quin, cum iam legitimorum iura habeant, amplius quaerelæ locum fratribus praeteritis dari non posse. Nam cessante macula illa turpis generationis, quæ vero cessare debebit si sūs efficietur; cessare debebit quoque illa legum dispositio, quæ fratribus querelam inofficiosi largiebatur.

### §. IX.

Nec aliter res comparata erit, si interuenierit pactum renuntiatum. Quamvis enim de hereditate atque succedendi iure Romanis Legibus pæcta non valeant, si de acquisitione hereditatis agatur. At vero nihil obstat in his ipsis Legibus, quo minus quis suo succedendi iure renunciet, imo has renunciationes iure iurando firmatas validas declarat Ius Canonicum in cap. 2. de Paſt. in VI. Nec abhorret ab hac dispositione fori ratio et praxis. Quapropter,



propter, si fratres iurato renuncient in favorem filii illegitimi, in que eius heredis institutionem consentiant, quis dubitat, instituto tunc a patre filio naturali, praeteritis fratribus testatoris legitimis, eum recte hereditatem aditum, nec fratres quaerelam inofficiosi amplius audiendos esse.

§. X.

Tandem quid sentiamus de iis quibus natales tantum restituvi maculaque abstera illegitimae ut vocant nativitatis. Quid si talen filium pater naturalis heredem scribat praeteritis suis fratribus, an querelae locus sit. Si Mynsingeri quem adducit LVDOVICI Doctr. ff. L. I. Tit. VI. s. 13. lepida Philosophia valeret, sc. legitimatos nihilominus manere infames de facto inter bonos et graues viros; recte affirmandum videretur conquaeri posse fratres praeteritos filio illo ut dicunt nostrates legitimato instituto herede. Sed quis Te docuit Mynsingere esse aut fuisse infames, quibus tantum illegitimi concubitus parentum maculam fngit lex, quea contraria fictione iam sublata est. Caeue ne in poenam in Diplomaticis Comitum Palatii sacri Imperatorii expressam incidas Tuu iudicio, quo nominis honestatem negas, quos autoritas Imperatoria honestos esse voluit: imo ne Te graues honestique Viri, quod ad eorum iudicium Te referas, ex Lege Cornelia de falsis conueniant. Rectius ergo affirmabitur scripto illo filio herede ob maculam cefantem, legis rationem quoque cessare, hinc nec amplius quaerelae locum fore fratribus praeteritis. Sed noli id applicare ad illum filium naturalem, cui post heredis institutionem macula sublata est: Scimus enim tria in herede tempora obseruari, sc. relictae hereditatis, mortis testatoris et aditae hereditatis.

T A N T U M.



SB  
7 felde







S P E C I M E N  
CONTINENS

No. 40.  
1765, 13.

C A P V T I V R I S C O N T R O V E R S V M  
A N

Q V A E R E L A  
T E S T A M E N T I I N O F F I C I O S I  
L O C V M H A B E A T  
C O N T R A T E S T A M E N T V M F R A T R I S  
I N Q V O F I L I V S N A T V R A L I S  
H E R E S I N S T I T V T V S

Q V O D

I L L V S T R I S I C T O R V M O R D I N I S G R A T I A  
P R A E S I D E

D. C H R I S T I A N O H E N R. B R E V N I N G  
P R O F E S S O R. P V B L I C. O R D I N. I V R. N A T. E T G E N T.  
E T S O C I E T A T. L I T E R. D V I S B V R G. S O C I O

I N A V D I T O R I O P E T R I N O

D I E X V I I I. M A I I A N N O C I C I C C C L X V.

D E F E N D E T

C A R O L V S C H R I S T I A N V S M E N Z E L,  
L A V B A L V S A T.

L I P S I A E

E X O F F I C I N A L A N G E N H E M I A.

